



Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Episcopalis

In Qva Episcoporum Non Tantvm, Eorumqve Vicariorum munus; sed
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum
ac dubiorum indies occurrentium Resolvtiones ... quàm brevissimè
continentur

Zerola, Tommaso

Coloniae Agrippinae, 1680

Confessio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10421

ergo non est ipso jure suspensus, & ista sententia est communis, omnium recentiorum. facit *cap. quàm sit, de excess. prelat.* ubi summarium dicit, quòd suspendendus est clericus, qui de suo crimine publicè gloriatur; ergo non est suspensus ipso jure, Selva 3. parte, *quæst. 8. n. 5.* dicit, quòd fornicatio quæ est notoria, vel scandalosa, vel diu continuata, est digna depositione; ergo non est ipso jure suspensus, seu depositus, Franc. Victor. in *sum. sac. qu. 3. fol. 140. n. 4.* ubi dicit concubinarium notorium priùs debere moneri, & postea suspendi à beneficiis, & si non se corrigit, removetur ab eisdem; accedit, quòd Pius V. *Bulla sua 5. quæ incipit: Cum primùm,* non addit alias pœnas quàm quòd observetur sac. Conc. Trident. & addit solùm quòd in hoc peccato & blasphemia, & simonia procedi posset non solùm per accusationem, sed per inquisitionem, & per simplicem denuntiationem, idem Innoc. & Abb. in *c. si celebrat, n. 5. de cle. exc. & inc. nostra, n. 7. & 8. de cohab. cler. & mul. & in cap. tuam nobis, n. 16. de decim. D. Ant. 2. p. iii, q. c. 10. §. 1. ver. 6. Major. in 4. sent. dist. 9. in fin. & idem clarè tenet Inn. in *c. paternitatis, n. 3. de heret. Nav. in c. 1. §. labore. n. 10. de pen. d. 6. Caputaq. dec. 90. p. 2.* facit quòd notat Gemin. in *c. perpetuo de elect. lib. 6. circ. fin.**

Ad Tertium. Gloss. in *cap. 2. de cohab. cler. & mul. in ver. canonica,* dicit tres expositiones, seu opiniones, quid agendum sit contra concubinam publicam, tandem dicit, posse, & debere excommunicari, per *c. concubina, de sen. exc. lib. 6.* Sed hoc intellige, si fuerit contumax,

vel perseverans inobedientia, & quando non speratur resipiscentia, *c. 1. de sent. exc. l. 6. & Abb. in d. c. 2. n. 5.* dicit concubinam clerici debere puniri per Judicem ecclesiasticum.

Ad quartum. Videtur quòd ter debent moneri, patet *d. c. 2. de cohab. cler. & mul.* ubi dicit, post primam, secundam, & tertiam admonitionem. Idem. in *Clem. 1. & ibi gl. in ver. tertia, de vit. & hon. cler.* tamen Conc. loquitur simpliciter, dicens, *quòd si à superioribus moniti, & c.* Ergo videtur quòd sufficeret prima monitio: nam non proceditur ad censuras, nec ad beneficiorum privationem, nec ad suspensionem administrationis, sed ad tertiam partem fructuum; ergo sufficit prima monitio.

Ad Quartum principale, videantur criminalistæ canonici, ut Diaz *loc. cit. & Pau. Chir. lib. tertio, tit. de omnifari. coit. cap. septimo, & nono per totum, & alii.*

Ad Quintum. Vide Abb. in *c. tua nos, n. 7. de cohab. cler. & mulier.*

CONFESSIO.

SUMMARIUM.

- 1 Confessio cui fieri debeat, & quando ad eam quis obligetur de jure divino, & positivo; de jure positivo satis constat per capitulum omnes utr. sexus, de pen. & remiss. & de temporis congruitate per Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. de confess. Canone 8. De jure divino videto Doct. Theologos, Canonistas, & Summistas, in 4. sent. tract. de confess. &

in capite citato, sed relictis multis de quibus poterit quis videre in Doctoribus & loc. cit. solum hic tres dubitationes attingam, pro praxi quotidiana. Prima est, de pœnitentibus qui sunt in eadem civitate, an possint confiteri peccata sua cuicumque Confessario approbato ab Ord. illius diœcesis sine licentia proprii parochi, etiam tempore Paschali pro observatione text. citati.

- 2 An pœnitens alterius diœcesis, ut puta Romanus possit confiteri Neapoli, seu Mediolani, modo quo supra, etiam si data opera discederet tempore Quadragesimæ, ad hoc ut confiteatur peccata sua alibi.
- 3 An vagabundi possint confiteri, cuicumque voluerint, pari modo.

AD primum. Facilis est responsio, quia clarè habetur in *Catechesi Neapolitana*, l. 4. c. ult. §. alii verò, ubi dicitur: *Alii verò simplices sacerdotes sive seculares, sive regulares admissi ad Confessionem ab Episcopo, possunt indifferenter ad se confluentes pœnitentes, subditos tamen illi Episcopo sine aliqua licentia parochorum absolvere, nisi aliud Episcopus ordinaverit.*

Ad secundum. Et est majus dubium, responderetur, quòd si pœnitens hoc faceret sine fraude, i. non animo decipiendi Confessarium, sive parochum suum proprium (imò potius lucrandi animam suam) quòd valeret confessio, & etiam cum fraude, modò integè confiteatur verè pœnitens. Ratio est, quia consuetudine potest induci, ut quis confiteatur cuicumque voluerit, modò confessio fiat Sacerdoti approbato ab Ordinario, maximè hoc videntibus

prælatis, tacentibus & tolerantibus & per hoc consentientibus, Fran. Viêt. in *sum. sac. q. 54.* & Cajet. in *sum. in ver. absolutio a peccatis ex parte absolvētis §. licentia*, ubi hoc admittit quoad paschalem Confessionem, sed addit, quòd ex Extravaganti Eugen. IV. potest extendi ad omnes alias Confessiones, immo maximè cum non sint ex præcepto, Flor. Theol. in 4. *sent. tract. de confess. f. 145.* Ratio est, quia proprius Sacerdos à quibusdam Doct. dicitur ille, qui potest confessionem audire, sive hoc faciet ex officio, sive ex sola commissione: idem D. Anton. in *sum. 3. p. tit. 17. c. 1.* Angel. in *verbo Confessio, c. n. 3. in ult. verbis*, Soto 4. *sent. dist. 18. q. 4. art. 2.* Navar. c. 6. num. 5. *versi. 5.* ubi ait valere confessionem illam factam extraneo Confessario, modò id sit gratum proprio Sacerdoti. Sed hodie communiter per consuetudinem in hoc consentiunt omnes parochi, per tacitam tolerantiam; ergo videtur hoc sibi esse gratum; ergo valet. Navar. c. 27. n. 255. *notab. 6.* ubi ait ex consuetudine posse Confessarium unius parochiæ absolvere confessum à peccatis ubicunque commissis, & dat rationem, prout ibi, & hoc videmus passim admitti per consuetudinem: nam multi tempore Paschatis discedunt à propria civitate, sive oppido, & confitentur peccata sua in aliena diœcesi, ibi communicant, & postea afferunt scedulam, sive tesseram suo parochi, vide Cajet. in *opus. de min. pœnit.* & utinam prælatis, & parochi haberent saltem hic vigilantiam, ut sciant, quinam confessi sunt in sua diœcesi, quive non, & qui extra, & an portent scedulam de con-

confessione, & communione habita a-
 libi. Sylvest. *in ver. Confessor*, 1. §. 2. *ver.*
 8. Navar. *loco citato, capit. 9. num. 5. in fin.*
 non sine mysterio dixi, sine fraude,
 quia multi discedunt à propria parochia,
 confitendo alibi, qui anno elapso fue-
 runt objurgati à confessariis, vel eis fuit
 imposta restitutio, vel cessatio ab aliqua
 mala consuetudine, & sic vadunt ad al-
 ias diœceses, ibique confitentur, &
 ista confessio non valet, quia perman-
 entibus in peccatis est deneganda ab-
 solutio, licet eis impediatur à quibus-
 dam confessariis per *c. peccati venia, de*
reg. iur. lib. 6. Sylvest. *in ver. Confessor.*
c. 4. num. 3. §. 2. Secundò, quia no-
 lentes restituere, non sunt absolvendi,
 modò possint, Cajet. *in sum. ver. resti-*
tutio, cap. 6. circa ult. Navar. *c. 16. num.*
59. notab. 4. D. Anton. *in sum. 2. par. ut.*
2. cap. 8. & dixi in ver. absolutio, §. 9. l. d.
 recedente, sive remota hac fraude, va-
 leret confessio, prout dixi sup. Dico præ-
 terea, quòd posset facere contra hoc *cap.*
2. de pœn. & remiss. lib. 6. ubi habetur
 hoc nulla consuetudine posse introduci,
 ut quis non teneatur confiteri proprio
 Sacerdoti. Respondetur, quòd potest
 hoc introduci multis rationibus. Prima,
 quia in omnibus mendicantibus, & iis,
 quia communicantur eorum privilegia,
 potest quis confiteri etiam semel in an-
 no. Secunda, ex Bullis summorum
 Pontificum concessis variis locis, &
 Confraternitatibus, & præcipuè per
 Bull. Paul. IV. concessam sanctiss. Eu-
 charistiæ sac. Confratribus. Nav. *in c. 1.*
in prin. in gl. num. 98. de pœn. d. 6. Ter-
 tia, ex facultate tacita, vel expressa Supo-

riorum, videntium, & tolerantium.
 Nav. *in c. placuit, n. 334. de pœn. dist. 6.*
ver. quarto tertio. Quarta, potest hoc in-
 troduci consuetudine contraria, & ad
 textum responderetur, quòd potest alia
 consuetudine tacitè, vel expressè conce-
 di, & ratio rationis est, quia id quando
 est præcepto humano inductum, potest
 humana consuetudine tolli, *arg. c. si de*
consuet. Nav. conf. §. de feris, vide in praxi
mea pœn. cap. 15, §. 1. & 2.

Ad tertium. Dico quòd vagabundi
 possunt confiteri cuiunque Confessa-
 rio approbato ab Ordinario illius diœ-
 cesis, ubi ipsi commorantur, nec est ne-
 cesse confiteri parochi illius parochiæ
 ubi degunt, Cajet. Flor. Theol. *loc. cit.*
 Cætera de hac materia vide apud Doct.
 quia intentio mea est tangere tantum-
 modo practicable magis, & quæ non
 ita vulgò circumferunt.

CÆMETERIUM.

AN possit ædificari longè ab Eccle-
 sia, vel propè Ecclesiam, vide
 Innoc. *in cap. abolenda, numero 2. de*
sepult. ubi etiam dicit, solùm Eccle-
 siam habentem populum posse illud
 habere, & quid sit, & an opus sit,
 quòd sit consecratum ab Episcopo,
 vel solùm locus deputatus ad sepultu-
 ram, vide Anchar. *in cap. fin. numero*
14. de sent. excomm. libro 9. Et an
 gaudeat immunitate, qua Ecclesia,
 vide Abb. *in cap. cum Ecclesia,*
numero 2. de immuni-
tat. Eccles.

CHA-